

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Sermo LXVIII

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)

proinde sic est iam regnum, ut cum de illo collecta fuerint omnia scandala
 tunc perueniat ad regnum, ut non solum regni nomen, sed & iam regnandi
 habeat potestatem; huic quippe regno ad dexteram stanti in fine dicetur,
 Venite benedicti patris mei percipite regnum, id est qui regnum eratis &
 non regnabatis, uenite regnate, ut quod in spe fueratis, & iam in re esse possi-
 tis; haec ergo domus dei, hoc templum dei, hoc regnum dei, regnumque caelo-
 rum adhuc aedificatur, adhuc paratur, adhuc congregatur; in illo erunt
 mansiones sicut eas adhuc parat dominus; in illo iam sunt sicut praedestinavit iam
 dominus; sed quid est quod ut praeparare abire, cum profecto nos ipsos praepara-
 re, quod non faciat si reliquerit. agnosco domine ut possum; nimirum illud sig-
 nificat, quia ut parentur istae mansiones, uiuere debet iustus ex fide; qui
 enim ad domino peregrinatur, opus habet ex fide uiuere, quia per hanc ad speciem
 contemplandam paratur; beati enim mundo corde, quia ipsi dominum uidebunt, &
 fide mundat corda eorum; illud in euangelio, hoc in apostolorum actibus
 legitur; fides autem qua eorum quidem uisurisunt quamdiu peregrinantur
 corda mundantur, quod non uidet credit; nam si uidet, non est fides; creden-
 ti colligitur meritum, uident redditur praemium; Est ergo dominus & parat locum,
 Est ne uideatur, lateat ut credatur; tunc enim locus paratur, si ex fide uiu-
 tur; creditur desideratur, ut desideratus habeatur, Desiderium dilectionis,
 praeparatio est mansionis; ita domine para quod paras; nos enim tibi paras, & te
 nobis paras, quoniam locum paras, & tibi in nobis & in te nobis; Tu enim dixisti,
 manet in me & ego in uobis; quantum quisque fuerit particeps tui, alius minus,
 alius amplius, haec erit diuersitas premiorum pro diuersitate meritorum;
 haec erit multitudo mansionum pro disparilitate mansorum; sed tamen
 omnium in aeternitatem uiuorum, & sine fine beatorum; quid est quod
 uadis, quid est quod uenis, si bene te intellego, nec unde uadis nec unde
 uenis recedis; uadis latendo, uenis apparendo; sed nisi maneat regendo
 ut proficiamus bene uiuendo, quomodo parabitur locus, ubi possimus ma-
 nere perfruendo, haec de uerbis quaerecitasunt euangelicis satis dic-
 ta sunt, quo usque ait dominus, iterum uenio & accipio uos ad me ipsum, quid
 autem sit quod sequitur, ut ubi ego sum & uos sitis, & quo ego uado scitis
 & uiam scitis, post interrogationem quae sequitur ad discipulos facta
 tamquam per eos, ut nos interrogemus, melius audiemus, oportuni-
 usque tractabimus.

**INCIPIT SERMO LXVIII DE EO QUOD DICIT THOMAS, DOMINE
 NESCIMUS QUO UADIS USQUE AD IO, NEMO UENIT AD PATREM
 NUNCEST DILECTISSIMI UT QUANTUM UALEMUS, INTEL NISI PER ME.**

legamus de uerbis dñi posterioribus priora & consequentibus praecedentia. In eo quod audistis apostolo thomae interroganti esse responsum; Dixerat enim superius dñs cum de mansionibus loqueretur. quas & esse dixit in domo patris sui & ire se ut praepararet eas; ubi intelleximus & esse in mansiones ipsas in praedestinatione. & praeparari eas cum eorum quibus mansuri sunt. per fidem corda mundantur. quoniam ipsa dei domus ipsi sunt; & quid est aliud manere in domo dei quam esse in populo dei. cum idem populus est in deo & deus in eo; hoc ut praepararet dñs abire. ut credendo in eum qui non uideatur. ea quae in specie semper futura est. nunc per fidem mansio praeparatur; propter hoc ergo dixerat. & si abiero & praeparauero uobis locum. iterum uenio & accipiam uos ad me ipsum. ut ubi ego sum & uos sitis. & quo ego uado scitis & uiam scitis; Ad haec dicit ei thomas; Dñe nescimus quo uadis. & quomodo possumus uiam scire. Utrumque illos dñs dixerat scire. utrumque dixit iste nescire. & locum quo itur & uiam qua itur; sed nescit ille mentiri; ergo isti sciebant. & scire nesciebant; conuincat eos iam scire. quod se putant adhuc usque nescire. Dicit ei ih̄s; ego sum uia & ueritas & uita; quid est fr̄s. ecce audiui uos discipulum interrogantem. audiui uos & magistrum docentem. & nondum capimus & iam post uocem sonantem sententiam latitantem; sed quid non possumus capere. numquid poterant ei dicere apostoli eius cum quibus loquebatur. nescimus te. proinde si eum sciebant. & uia ipse est. uiam sciebant; si eum sciebant & ueritas ipse est. ueritatem sciebant; si eum sciebant. & uita ipse est. uitam sciebant; ecce scire conuicti sunt. quod se scire nesciebant; quid igitur & nos in isto sermone non cepimus. Quid putatis fr̄s mei. nisi quia dixit & quo uado scitis & uiam scitis. & ecce cognouimus quod sciebant uiam. quia sciebant ipsum qui est uia; sed uia est qua itur. numquid uia est & quo itur. utrumque autem illos dixerat scire. & quo uadit & uiam; Opus ergo erat ut diceret. ego sum uia. ut ostenderet eos quia eum scirent. uiam scire quam putauerant se nescire. Quid autem opus erat ut diceret. ego sum uia & ueritas & uita. cum uia cognita qua itur. restaret nosse quo itur. nisi quia ibat ad ueritatem. ibat ad uitam. ibat ergo ad se ipsum per se ipsum; & nos quo imus nisi ad ipsum. & qua imus. nisi per ipsum. Ipse igitur ad se ipsum per se ipsum. nos ad ipsum per ipsum. Immo uero & ad patrem & ipse & nos; nam & de se ipso alibi dicit. ad patrem uado. & hoc loco propter nos. Nemo inquit uenit ad patrem nisi per me. ac per hoc & ipse per se ipsum & ad se ipsum. & ad patrem. & nos per ipsum & ad ipsum & ad patrem; quis haec capit. nisi quis spiritaliter sapit. & quantum est quod hic capit. & iam quis spiritaliter sapit. fratres quid a me ista uobis uultis exponi.

Cogitate quam excelsa sint. uide & is quid sim. uideo quid sitis. In omnibus nobis corpus quod corrumpitur ad grauat animam. & deprimi terrena inhabitatio sensum multa cogitantem; putamus ne possumus dicere. ad te leuauit animam meam qui habitas in caelo. sed sub tanto pondere ubi ingemescimus grauari. quomodo leuabo animam meam. nisi mecum leuabo qui posuit pro me suam. Dicam ego quod possum. capiat uestrum qui potest; quo donante dico. eo donante capit qui capit. & eo donante credit. qui nondum capit. Nisi enim credideritis inquit propheta. non intelligetis. Dic mihi dñe meus. quid dicam seruis tuis. conseruis meis; thomas apostolus ut te interrogaret & habuit te ante se. ne tamen intellegeret te nisi haberet in se; Ego interrogo te. quia te scio esse super me. Interrogo autem in quantum possum super me effundere animam meam. ubi non sonantem & tamen docentem audiam te; Dic mihi obsecro quomodo uadis ad te. numquid nam ut uenires ad nos reliqueras te. maxime quia non ate ipso uenisti. sed pater te misit. Scio quidem quod te exinanisti sed quia formam serui accepisti. non quia formam di uel ad quam redires dimisisti. uel quam reciperes amisisti. & tamen uenisti. & non solum usque ad carnales oculos. uerum & iam usque ad manus hominum per uenisti; Quomodo nisi in carne per hanc uenisti manens ubi eras. per hanc redisti non relinquens quo ueneras. Si ergo per hanc uenisti & redisti. per hanc proculdubio non solum nobis es qua ueniremus ad te. uerum & iam tibi qua uenires & redires uia fuisti; Cum uero ad uitam quod es ipse isti. eandem profecto carnem tuam ad uitam de morte duxisti; Aliud quippe uerbum di est. aliud homo. sed uerbum caro factum est. id est homo; non itaque alia uerbi uel hominis est persona. quoniam utrumque est xps una persona. ac per hoc quem in modum caro cum mortua est. xps est mortuus. & cum caro sepulta est. xps est sepultus. Si enim corde credimus ad iustitiam. sic ore confessionem facimus ad salutem. ita cum caro a morte uenit ad uitam. xps uenit ad uitam. & quia uerbum di xps est. xps est uita. Itamiro quodam & ineffabili modo qui numquam dimisit uel amisit se ipsum. uenit ad se ipsum; uenerat autem ut dictum est per carnem di ad homines. ueritas ad mendaces. Di enim uerax. omnis autem homo mendax; cum itaque ab hominibus abstulit atque illuc ubi nemo mentitur. carnem suam leuauit. idem ipse quia uerbum caro factum est. per se ipsum id est per carnem ad ueritatem quod est ipse remeauit; quam quidem ueritatem quamuis inter mendaces. & in morte seruauit; Aliquando enim xps fuit mortuus. sed numquam fuit falsus. Accipite quamuis diuersum & longe impar exemplum. tamen ut cumque. ad intellegendum dñm. ex his que

propius subiecta sunt dō; Ecce ego ipse quantum ad tin & ad animum meum, cum hoc sim quod estis & uos. sita ceo. apud me sum, si autem loquor uobis quod intellegatis. quodammodo ad uos procedo. nec me relinquo. sed & ad uos accedo & non recedo unde procedo. Cum autem tacuero. quodammodo ad me redeo. & quodammodo uobiscum maneo. si tenueritis quod audistis in sermone quem dico; si hoc potest imago quam fecit dñs. quid potest non a dō facta sed ex dō nata imago dī. **deus** cuius illud quo ad nos egressus est & in q̄. a nobis regressus est sicut meus elapsus est sonus. sed manet ibi. iam non moritur & morse i ultra ^{corpus} non dominabitur. multa de his euangelicis uerbis adhuc dici fortasse poterant & debebant. sed non sunt corda uestra spiritalibus cibis quamlibet sua uibus oneranda. maximae quia sp̄s promptus est. caro autem infirma.

INCIPIT SERMO LXX DE EO QUOD AIT SIC COGNOUISTIS ME ET PATREM MEUM UTIQ. COGNOUISTIS USQ. AD ID. NON CREDIS QUIA ECO IN PATRE ET PATER IN ME EST.

Verba sc̄i euangelii fr̄s ita recte intelleguntur sic cum superioribus repperiuntur habere concordiam; Conuenire enim debent praecedentia consequentibus. quando ueritas loquitur; Superius dixerat dñs. — Et si abiero & praeparauero uobis locum. iterum uenio & accipiam uos ad me ipsum ut ubi ego sum & uos sitis. De inde addiderat. & quo ego uado scitis & uiam scitis. nihilq. aliud ostendit esse quod dixit. nisi quia ipsum sciebant; quid ergo esse. ire ad se ipsum per se ipsum. quod & iam discipulis praestit ut eant ad ipsum per ipsum. ut potuimus pristino sermone iam diximus; quod itaq. ait. ut ubi ego sum & uos sitis. ubi erant futuri nisi in ipso. ac per hoc est & iam ipse in se ipso. & ideo ibi illi ubi & ipse. hoc est in ipso; ipse est igitur uita aeterna. in qua futuri sumus cum acceperit nos ad se. & ipsa uita aeterna quod ipse est & in ipso est. ut ubi est ipse & nos simus. hoc est in ipso; Sicut enim pater habet uitam in semet ipso. & uitaq. non aliud est uita quam habet. nisi quod est ipse qui hanc habet. sic dedit filio habere uitam in semet ipso. cum ipse sit eadem uita quam habet in semet ipso; Numquid autem nos uita quod est ipse hoc erimus. cum in illa uita. hoc est in ipso esse coeperimus. non utiq. quia ipse existendo uita habet uitam. & ipse est quod habet. & quod uita est in ipso. ipse est in se ipso. nos autem non ipsa uita sed ipsius uitae participes sumus. atq. ita ibi erimus ut in nobis ipsis non quod ipse est esse possimus. sed nos ipsi non uita. ipsum habeamus uitam quia se ipsum habet uitam. eo quod ipse sit uita; Deniq. ipse & in se ipso est inmutabiliter & in patre inseparabiliter. nos uero cum in nobis ipsis esse uoluissimus. ad nos ipsos turbati sumus; unde illa uox est. ad me ipsum turbata est anima mea.